

Status Dedeken


**HISTORIA || NATIVITATIS DO=||MINI ET SERVATORIS NOSTRI || IESV CHRISTI  
VERSIBVS || breviter exposita,|| ET || ... Dn. HINRICO || WITZENDORF, Reipub.  
Luneburgensium consuli vigi-||lantißimo ... || dedicata || à || STATIO DEDEKEN ||  
Luneburgensi.||**

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1596

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1745550666>

Druck Freier  Zugang








Fm 1197<sup>1-6</sup>. <S>











11

HISTORIA  
NATIVITATIS DO-  
MINI ET SERVATORIS NOSTRI  
IESV CHRISTI VERSIBVS  
breviter exposita,

ET  
AMPLISSIMIS  
VIRIS ET PIETATE,  
PRVDENTIA, DOCTRINA, OMNI-  
*que virtutum genere ornatissimis Dominis, Dn. HINRICO*  
*WITZENDORF, Reipub. Luneburgensium consuli vigi-*  
*lantissimo, Dn. HIERONYMO WITZENDORF,*  
*Patritio ac Salinatori ibidem clarissimo, Fratribus, Do-*  
*minis & Mecœnatibus suis omni observantia*  
*colendisimis dedicata*

STATIO DEDEKEN  
Luneburgensi.



ROSTOCHII  
Typis Augustini Ferberi Junioris,  
A N N O

M. D. XCVI.

Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostockensis

F. m. - 11971 - 6.



# HISTORIA NATIVI TATIS IESV CHRISTI.



*Vnc festo quoniam ritu celebran-  
da recurrit*

*Illā dies, qua Christus homo de  
virgine natus*

*Prodiit in lucem hanc, nobis retu-  
litq; misellis*

*Amisam prius ob peccata nefan-  
da salutem:*

*Supremo fas est praconia solvere laudum*

*Debita Rectori, meritas & dicere grates,*

*Tantarumq; pio miracula volvere rerum*

*Rite animo, & primā causas ab origine tanti*

*Altius expensas dextrè cognoscere facti.*

*Fas vestro mihi, Pierides, sit numine, aperto*

*Fonte Helicone, animo mecum perpendere, & ista*

*In sacra subsidio concludere carmina Christi.*

*Vt Deus ex nihilo caelos, terrasq; fretumq;*

*Fecerat omnipotens verbo (quo cuncta creabat)*

*Caelestemq; polo turbam, sine mole creatam*

*Humanā, indiderat, terramq; habitare virentem*

*Fusserat humanum genus, & genus omne ferarum,*

*Fusserat & pennis volucres tranare tepentem*

*Aëra concentuq; suo loca sola reple,*

*Iusse-*



*Jusserat exultare etiam tot millia gentis  
Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ,  
Cunctaq; jam pulcro constabant ordine & arte:  
Cœlitus hæc cernens benè condita voce probabat:  
Menti namq; sua correspondere videbat  
Omnia, nec, quenquam quod lādere posset, adesse.  
Omnia tunc pacis, risus tunc omnia plena:  
Pœna nefasq; aberant, aberant fraudesq; doliq;  
Insidiæq; & vis, & amor sceleratus habendi:  
Florebat pietas, verumq; fidesq; vigebant.*

*Ante Deum sacrata cohors, sublimia cœli  
Tecta tenens, magno sua tractat munia Zelo,  
Assiduis nomen Domini, numenq; vehendo  
Laudibus, & gratâ bonitatem voce canendo,  
Sponte paratq; suâ jussis parère verendis.*

*Quinetiam in terris magno pietatis amore  
Semper homo flagrans, justo conamine justum  
Urget opus. quoties etenim Sol lampade mundum  
Lustrabat, vel nox terras obscura tenebat,  
Æternum toties Rectorem voce salutat,  
In veras & ei cantat nova carmina laudes,  
Ac gratas vario grates pro munere solvit.*

*Sed nimis ista fuit brevis atq; caduca voluptas.  
Nam, pie Christe, tibi dum Lucifer (antè creatus  
Angelus, atq; sui totam virtute parentis  
Effigiem referens sine labe, sine arte dolosâ)*

A 2

Se



Se tumidè opponens, regno te pellerè tentat,  
Et solio aurato deponere, & exuere armis,  
Nec non mente tuos pravâ sibi poscere honores:  
Illum magna tua vis atq; potentia dextra  
Viribus exutum, & varijs (quibus antè superbus)  
Nudatum donis, merito, pro talibus ausis,  
Affecit precio, cœliq; ex arce coruscâ  
Projectum, diri sedem detrusit ad orci.

Ipsè autem furijs agitatùs, & acrior irâ,  
Pulsus, ob injustos ausus, animumq; superbum,  
Æthereis templis, Erebiq; abjectus in umbras,  
Non requievit ibi, nec sat scelerum esse putavit,  
Magnis Calicolis bellum moruisse nefandum:  
Verum vindicta cupidus, dum excellere donis  
Se genus humanum cernit, secum ipse volutat  
Mente dolos, hominiq; parat præstantia dona  
Eripere, & secum stygio hunc submergere ponto.

Formam itaq; assumens squamosaq; terga Draconis,  
Sic verbis lepide, prætentâ fraude, misellum  
Alloquitur: dicas, per amantèr queso, quid obstat,  
Quin omnem placeat paradisi carpere fructum?  
Num scelus esse putas, magni vel criminis instar?  
Vel te vana tenet pœna & formido futurâ?  
Aspice jucundos oculis hos, aspice fructus,  
Nonne horum lubeat linguâ explorare sâpores?  
En saltè m capito: quid enim cessare necessum est?

Namq;



Namq̄ creatori non hæc stat fixa voluntas;  
His ut gustatis subitâ te morte perire  
Committat: magis hinc sed verum noscere disces,  
Parq̄ Deo & similis redderis in omnibus ipsi.  
Sic ait. atq̄ statim seductus voce Draconis  
Carpit homo vetitâ vetitos ex arbore fatus,  
Et violat Domini mandata severa tremendi.  
Tunc sua tunc subito (dictu miserabile) dona  
Amittit, penitusq̄ jacet restincta Tonantis  
Gratia, luxq̄ animi, dederat quam sponte creator,  
Heu deleta jacet, nullâ reparabilis arte.  
Vnde etiam (miserum) horrendo debet in orco  
Igri sulfureo per sacula cuncta cremari.  
Verum supremi Soboles dilecta Parentis  
Indoluit, lapsusq̄ ejus miseratus acerbum,  
Mitemq̄ ostendens animum, tolerare nequivit,  
Vt sic perpetuos homo deijceretur in ignes,  
Cui Deus indiderat divina particulam auræ.  
Ergo apud æthereum sic Patrem vocibus instat:  
Quandoquidem, dilecte Parens, quæ voce minaci,  
Adjectis pœnis, homini servanda dedisti,  
Mandatis animo prompto parère negavit,  
Et mage, quæ Sathanas præcepit, jussa, bonorum  
Spem vanam faciens, sit mente volente secutus:  
Ob scelus hoc (fateor) meritò inflammatus ad iram  
Dicere jus posses horrendum, & præmia justa



Diri, pro meritis, infligere, Ditis in aulâ.  
Verum homo cum nostrâ sit lucida mentis imago,  
Præq̃ alijs animal donatum mente sagaci,  
Et quoq̃ nil sine eo, nostrum quod numen honore  
Dignari valeat, nostras & pangere laudes:  
Ipse ego descendens, humanam ex virgine massam  
Induere, & tandem (si grata est victima talis)  
Pro misero mortem dignabor obire levando.  
Hæc ubi dicta, Pater Nati sermone precantis  
Placatur subito, conceptamq̃ exiit iram,  
Ac certum statuit peragendi talia tempus.

Hoc ubi completum tandem fuit, æthere, ab alto  
Mittit ad intacta Gabriele virginis ædes,  
Ut celeres ferat ad terram sua dicta per auras.  
Ille sui verò mandata capessere Regis  
Ex templo parat, & terra delapsus ad oras  
Hanc adit, & verbis blandus compellat amicis:  
Virgo tui salve generis sanctissima, salve,  
Salve virgo, Dei voluit quam larga potentis  
Gratia felicem gestare in corpore fatum.  
At subito turbata metu, nec conscia rerum  
Virgo, fides, inquit, quando tua dicta sequetur,  
Quove modo evenient? quia non ingressa viriles  
Sum thalamos, colui sed virginitatis amorem?  
Ille refert: ecquid dubitas? divina revelo,  
Non aliena, tibi, sic eventura profectò:

Nulla



Nulli juncta viro, divini robora flatus  
Experière, tuam qui inflabit desuper alvum;  
Hoc operante, sacri venient tibi tempora partus.  
Vnde sacer quoq; fructus erit, præclaraq; magni  
Æterniq; Dei captabit nomina Gnati.

Aspice grandævam Elisaben, cui sparsa senectus  
Temporibus geminis canet: gerit illa sub alvo  
Pondus, & expectat primam (mirabile) prolem.  
Nil quia, crede, nequit, virgo, divina potestas.  
Hac ubi fatus erat sacer Angelus, illa salutis  
Agnoscit vocem, Dominiq; ego serua supremi,  
Talibus eventus dictis respondeat, inquit.  
Hic verò sese ex oculis avertit & aufert,  
Tecta q; syderei repetit sublimia templi.

Ac ubi jam propior Christi natalis adesset,  
Ecce recens (magni certè non absq; Tonantis  
Admonitu) volitat Galilæas fama per oras,  
Scilicet Augusti veniens ex Casaris aulâ;  
Quæ collecta jubet sua vectigalia quemvis  
Ad patrium perferre ducem, missosve ministros.  
Vnde etiam veræ pietatis amore Iosephus,  
Quod sanctâ prognatus erat de stirpe Davidis,  
Casaris edicto minimè parère recusat,  
Sed promptus sibi sponsatâ cum conjuge longum  
Tentat iter, properans ad parvæ mœnia Bethles,  
Ut sub Ephratao sua principe debita ponat.



Iamq; ubi contigerant prædictam p̄sibus urbem,  
Hospitiumq; novum se velle subire putabant,  
Ecce domus populi feruebat plena tumultu,  
Nec super hospitibus sedes erat ulla duobus.  
Ergo petunt iussi tenebrosa limina caula,  
Ut recreare parum sua possint membra quiete.

Ac noctis mediæ jam luna peregerat horas,  
Cum Mariæ ex utero prodit sanctissimus infans.

Sed quæ pompa fuit, quando castissima mater  
Tale dedit pignus? quali hoc splendore peractum est?  
Regia marmoreis puerum suffulta columnis  
Excipit? aut tyrio num murice cuncta renident?  
Num cunæ gemmis, aurove crepundia splendent?  
Num matres astant? Et adest holoserica vestis?  
Tempus odoriferi num currit amabile veris,  
Atq; tepet blandè Zephyris spirantibus aer?  
Non ita: sed duro concrevit frigore tellus,  
Et rigido lentus cælo nivis advolat imber.  
Stat casa stat laceris eadem vix pendula tignis,  
Sordida tota fimo est, multo Et scatet undiq; cæno,  
Et quatiant illam graviter pluviæq; nivesq;  
Velorumq; loco suspendit aranea telam,  
Et præbent puero duras præsepia cumas.  
Eheu qui campos vestitq; tegitq; volucres,  
Hic recubat, nec habet frigus quo pellere possit:  
Cui sedes Cælum est, Et magni machina mundi

Scabel-



Scabellum, miserè jacet in præsepe repostus!  
Vilia verum isthac placuere cubilia Christo,  
Et certo de consilio prodiuit egenus,  
Nos ut diuinis opibus ditaret egenos,  
Hospes & ex cælo vilis devenit in orbem,  
Ut nos ex hujus densâ caligine vita  
Ereptos, cæli faceret super arce beatos.  
O cælo par facta domus, quæ splendida tali  
Rege micas, tectum te non est sanctius ullum!  
Hic etenim verum est vero de lumine lumen,  
Hic Patris est fulgor, Patris est cælestis imago,  
Hic est prædictum germen de stirpe Davidis,  
Hic est qui magnus surrexit in orbe Propheta,  
Quem toties seclis vates cecinere vetustis,  
Hic est Immanuel, nobis qui cælica reddit  
Gaudia, conciliatq; offensum crimine Patrem,  
Vnicus & nobis nascendo restituit rem.  
Verùm quis tanto pro munere debita laudum  
Munera fert, pie Christe, tibi? quis pectore grates  
Depromit? num Pontifices, summusve sacerdos?  
Num quoq; cui vitam quondam lucemq; benignus  
Donâras, campos cui lacte & melle fluentes  
Imperiumq; potens dederas, sedesq; beatas,  
Gens Indæa tibi dignos fert laudis honores?  
Non ita: sed potius genibus te, Maxime, flexis  
Agnoscent pecora, ingenti gratata boatu.

Amplius



Amplius erat campus Bethlææ proximus urbi,  
Hic ovium cura vigili sub cratibus agnos  
Servabant teneros, tacitâ sub nocte magistri,  
Ilicet æthereâ tenues ex arce per auras  
Angelus advehitur, clarus fulgentibus alis,  
Nunciet ut castâ natum de virgine Christum.  
Hunc sed ubi cernunt claro descendere Cælo,  
Fllorum timidos subito parvor occupat artus,  
Et tristes animos curarum percitat æstus.  
Ast ille accedens propius, lenire trementes  
Solando cupit, & dictis avertere curas,  
Dulcisonamq; suo depromit ab ore loquelam,  
Cur ita, cur, dicens, trepidatis? curq; timorem,  
Mentibus incutitis vestris? auferte timorem,  
Et vanas tristi deponite pectore curas.  
Non ego non veni vestros dispergere fatus,  
Nec vestræ insidias vitæ vel damna parare.  
En ego de cælo missus nova gaudia porto,  
Gaudia, cuncta quibus recreentur pectora mundi.  
Namq; hodiè virgo, nulli commista marito,  
Fucundum partu sub luminis edidit auras  
Filiolum, Regem summum, vitæq; datorem,  
(Qui vobis, vobis, inquam, donare salutem  
Gaudet ovans, viresq; effringere victor Averni,  
Et dare perpetuæ præstantia munera pacis)  
Non intra Solyma, sed parva mania Bethles.

Illuc



Illuc ergò statim pede non remorante profecti,  
Invenietis eum, pecora inter agrestia, pannis  
Innexum laceris, fano misereq; cubantem.  
Hac ubi dixisset teneras secedit in auras.  
Nec mora sua visono incipiunt cœlestia cantus  
Agmina Messia celebrare potentis honores.  
Gloria sit Domino, superâ qui regnat in arce,  
Aurea per totum semper pax floreat orbem,  
Omnibus atq; fiet mortalibus una voluntas.  
Sua viter hæc repetunt per totam carmina noctem,  
Dum rursum illustrat phœbeâ lampade terras  
Humentemq; aurora polo nova dimovet umbram,  
Tunc iterum cœli demum excipiuntur ab aulâ.  
Pastores verò timidi secedere turbam  
Vt vidêre sacram, volventes pectore secum  
Cuncta pio, properis pergunt ad mœnia Bethles  
Passibus, & lati tantarum munere rerum  
In meritas Domini sua laudes ora resolvunt,  
Divulgantq; novi passim natalia Regis.

Hos age, perpetuam in cœlis quicumq; beatæ  
Latitiam vitæ exoptas, imitare, tuiq;  
Ad Regis cunas propera, licet æthera pennis  
Non petere, aut manibus præsentis tangere possis,  
Mente potes tamen: hoc si feceris, astra locatus  
Clara super lati traduces tempora veris.

Quod



Quod restat, Domini Mecanatesq; colendi,  
Hosce meos vobis, doctâ licet arte carentes,  
Inscribo versus: cum virtus vestra favere  
His soleat studijs, promptâ & succurrere mente.  
Qua fretus supplex venio, ac, ut fronte serenâ  
Accipiatis eos, votis ardentibus oro.

Sic vestram Pater astripotens vitam, decus, & rem  
Tutetur; vobisq; suo sit numine prestò,  
Sic annum instantem vobis, generiq; secundet,  
Et vos Nestoreos felices servet in annos.


F I N I S.






















Quod restat, De  
Hosce meos vobis, d  
Inscribo versus: cum  
His soleat studijs, pr  
Qua fretus supplex  
Accipiat eos, voti  
Sic vestram Pa  
Tutetur; vobisq; su  
Sic annum instante  
Et vos Nestoreos fe

enatesq; colendi,  
te carentes,  
tra favere  
occurrere mente.  
fronte serenâ  
oro.  
ens vitam, decus, & rem  
ne prestò,  
neriq; secundet,  
n annos.

I S.

